uoluntatem. Concordauerunt autem mirabiliter in id
ipsum. superno eis reuelante spiritu. uenerabilis
sacerdos et uirgo deo dicata. beneplacitum scilicet esse
diuinum. quod christi preco ad predicandum exiret. Reuerten
tibus itaque fratribus et dei iuxta quod acceperant indican
tibus uoluntatem. exurgens continuo succinxit se.
nullaque prorsus interiecta mora iter aggressus
est. Ibat autem cum tanto feruore ut diuinum exe
queretur imperium. tamque celeriter percurrebat. ac si facta
manu domini super eum nouam induisset e celo uirtutem.
Cum igitur appropinquaret beuanio. ad quendam locum
deuenit. in quo diuersi generis auium maxima
multitudo conuenerat. Quas cum sanctus dei uidisset.
alacriter cucurrit ad locum. et eas uelut ratio
nis participes salutauit. Omnibus uero expectan
tibus et conuertentibus se ad eum. ita ut que in arbustis
erant. inclinatis capitibus cum appropinquaret ad eas.
insolito modo in ipsum intenderent. usque ad eas
accessit. et eas ut uerbum dei audirent. sollicite
ammonuit dicens. Fratres mei uolucres. mul
tum debetis laudare creatorem uestrum. qui plumis
uos induit et pennas tribuit ad uolandum.

e-codices

Licenza: CC-BY-NC – Luzern, Provinzarchiv Schweizer Kapuziner Luzern, PAL L, f. 72v – Bonaventura, Legenda maior s. Francisci . Vita beati Antonii (http://www.e-codices.ch/it/pal/L/72v)